



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Edwardi Walpoli conuersio, Ibidem,

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1595.

tribuit, quam legum studio, tanto pij conatus fructu, vt cùm sibi soli non studeret, exiguo tempore viginti ad Catholicam partem addiderit; quorum alij ad Seminaria profecti, alij strictiorem viuendi rationem fecuti, alij domi in fide firmi atque constantes, Religionem quam eius hortatu amplexi sunt amplificarunt; quanquam non magis hortatione aut scientia, quām exemplo vita profuerit, sine quo & hortatio languet, & scientia plerumque contemnitur: Quo tempore *Campianus* in Arce cum Heterodoxis de fide dilectabat, ipse interfuit; adfuit etiam cùm de capite diceret, & cùm pro suscepso Sacerdotio moreretur: Notauit in erecto animo, demissionem; in aperita de Hæreticis victoria, modestiam; ad maledicta & contumelias immotum animum; fortē in patiendo, moriendo inuictum; quas in eo virtutes cùm admiraretur, ad eius sequendum institutum non leuiter se sentiebat impelli: Id primam ei mentem iniecit relictā patriā alias ut terras quaereret in quibus huīusmodi vitæ rationem florere intelligebat. Quam deinde mentem iuuit Hæretici Magistratus indignatio, commota primum carmine quo *Campiani* felicem exitum celebrarat; tum ad aures perlata industria in orthodoxæ fidei assertionibus propugnandis, atque in primis quā in affine quodam suo abducendo ab Hæreticorum commercio adlaborasset. Erat is *Edwardus VValpolus*, parente natus diligentissimo purioris Calviniſmi lectorate; quam lectam *Edwardus* non minus altè quam parens imbibera, primus inter filios parenti carissimus. Huic *Henricus* pro antiqua ab incunabulis conluctudine proq[ue] iuuenis lēto ingenio, & innato animi candore, cùm optaret quām maximē rectum iter ostendere, obstabat hausta à teneris impietas, domestico firmata exemplo, parentum fota obseruantia, legum etiam munita severitate; quæ tam difficilem nouæ luci dabit aditum, vt annis duobus tenuerit bellum, modò familiari gestū ſermone, modò communicatis scriptis, modò oſtensis libris, quos inter p[re]cipui erant Confessio Augustiniana, & Thomæ à Kempis libellus de Imitatione Christi: In illo perſpiciebat tanti Doctoris consentientem cum Catholicis sententiam; in isto mirabatur viri (vt tum existimabat) nimium ſuperstitionis ſolidam pietatem: Accessit & Fulci, ſuę lectæ hominis, in reſponſione ad *Alani* Cardinalis librum de Purgatorio, omnium antiquorum Patrum familiaris Hæreticis contemptus. At optatum certamini finem posuere literæ ab *Henrico* acceptæ; quæ quo argumento, quo[rum] ardore scriptæ fuerint, quanquam non memoratur, eam vim habuere, vt cùm menſae aliſſenti *Edwardo* traditæ eſſet, confestim ſurgenti atque in conclave ſe abdenti multis obortis lachrymis omnem de Catholicā fide amplectenda dubitationem, metum omnem abſtererint, qui nē in leges, aut in parentes offendere, detinuerat. Salutem Filij parentes tam ægro tulere animo, vt de cognato quererentur apud Señatum Regium: Fugiendum igitur *Henrico* fuit nē literis Leiceſtrij, Ceciliij, VValsinghamij, & Cobbam obnoxius, daretur in carcerem:

Et domi

Campiani
exemplum
mouetur
ad Societatem
incundam

Edwardi
VValpoli
conuersio.